

Lbx 153.
Sammelband

7.

DISSE^TAT^O HISTORICA
ET GEOGRAPHICA
DE
SEPTEM ECCLE-
SIIS ASIAE IN DIVINA
APOCALYPSI MEMORATIS,
EARVMQVE OCCASIONE,
DE
EXSILIO IOANNIS APOSTOLI,
Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIP^E
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBURGIC^I HEREDE,
CETERA,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAE S I D E
CHRISTOPHORO CELLARIO,
Histor. & Eloq. Prof. P.
pro consequendis MAGISTRI Artium &
Philosophiae honoribus ac priuilegiis
D. xviii Junii c*1710* CC*1* ante meridiem Eruditorum
examini exponit
IACOBVS FRIDERICVS Hollenhagen/
Mitouensis Curlandus.

EDITIO TERTIA,
Litteris Christiani Henckelii, Acad. Typogr.
c*1710* CC*1*

DIGESTATIO HISTORICÆ

IN GEGENWÄRTIGER

ZEIT

DE

SEPTEM EGO

212 ASIAE IN DIVINA

ALOCALYSI MUNDIAT

EVANGELI DEGREGATIONE

EXALTO JONNIUS VASCON

213 SIBYLLE IN CANTO

HIERODRITIO IN

CHRISTO IN STYLIO

214 PRO CONFUSIONE

EPISTOLIS

215 TACITUS HISTORIAS



I.



N. diuersa eunt studia mortali-
um, nec solum illa disiciuntur, quæ
curam corporis aut lucrum sibi com-
mendatum habent; verum ipsa et-
iam, quæ a mentis cultu liberaliora
appellamus. Quis ignorat enim su-
premas ilias disciplinas quam longe
inter se se & ab aliis etiam dissideant?
quis vastum intervallum philosophian inter & philologiam,
seu litterarum humaniorum culturam non intelligit? quam
varie diuisæ sunt mathematicorum differentiæ? omnia ta-
men, quantuncumque disiunctæ sunt, si recte suscipiantur,
&, vt decet, perraedantur, ac vnum finem collineare de-
bent, qui Dei est gloria, & huic coniuncta communis salus
omnium sive reipublicæ.

II. Consociat hic finis diuersitatem studiorum, quæ
non minus est necessaria, quam multitudo & varietas op-
ificiorum. Quem vero inter se ordinem dignitemque fer-
uent, non est nostrum iam excutere, præsertim quum alia
prisorum temporum ratio fuerit, aliud consuetudo ætatis
nostræ ferat. Romanorum quæ litterarum studia fuerint,
& quo ordine ab illis censa sint & aestimata, ex monumen-
tis illorum, quæ supersunt, non difficile ad iudicandum est.
Hodie qui status rerum sit, quæ emineant disciplinæ quæve

A 2 iace-

iaceant, non opus est recensere, quia per se cognitum, vt e*narratione* non indigeat.

III. Dmissis ergo ceteris, *philologia* nostra contenti sumus, seu illarum artium & litterarum studio atque cultura, quæ quod ad humanitatem ducunt, & ceteris quibusque disciplinis elegantiam ac ornatum adferunt, **HUMANIORA STUDIO & LITTERAE POLITIORES**, vt dignæ sunt, appellantur, nec quisquam gloriosum nomen inuidit, nisi sordido qui animo est & ignarus veræ humanitatis ac elegantiæ. Vt vero Marcus Cicero in suo studio de *optimo genere oratorum*; & nostra memoria vir illustris Petrus Daniel Huetius de *optimo interpretum genere* disquisivit: sic nobis de *philologorum optimo genere* inquirere non nihil licet.

IV. Sunt qui in codicibus emendandis, sunt qui in nummis & faxis antiquis seu inscriptionibus; alii in aliis antiquitatibus explicandis suam curam & studium defigunt atque locant, singuli quidem præclare & cum fructu utique eximio, qui ad alia & sublimiora studia adfertur. Nos vero vt sacris mysteriorum studiis primas, vt par est, deferendas esse censemus, quia, quum fluxi sint cetera, & mortalis vita commoda vt plurimum respiciant, hec ad diuina diriguntur, & æternos ac immortales fructus ferunt; ita philologiam quæ sacro usui applicatur, esse optimum præstantissimumque in genere humaniorum studiorum, omnino iudicamus; immo etiam, sed iis qui transtinent, iucundissimum. Dulce enim cultis modestisque ingenii, profana studia, historiam, geographiam linguarumque variarum & antiquitatum notitiam ad sanctiorem constantioremque usum accommodare.

V. Haec mentem ingressus de ASIA iam subit mediari, cuius **SEPTEM ECCLESIAS** diuinus Ioannes cœlesti iussione ex Patmo exsul scripsit, vt corrigerent pravata, quæ collapsa

collapsa erant excitarent, quæ stabant recte, in bono statu confirmarent. Illam autem ut Asiam inveniamus, diuisiones, ex maxime quibus Romani vici sunt, excutiamus necesse est, quia quæ explicaturi sumus, sub Romanorum principum imperio, quod nemo negat, gesta sunt. Deinde Apostoli migrationes & pericula, quæ varie traduntur, ex historiis examinabimus, ut status ecclesiarum, quibus litteras diuinis misit, lucidius intelligatur cum loci & temporis cognitione, ubi & quando epistole illæ consignatae fuerint.

VI. Asia hoc loco non est tertia antiqui orbi pars nunc quarta, Europæ & Africæ objecta: neque illa tractus inter Pontum, Aegaeum mare & mediterraneum comprehensus, quam Peninsulam veteres dixere, nunc *Natol'a* appellatur, quam vulgo, non autem antique dicunt *Minorem Asiam*: neque quæ Romanis dicitur *cis Taurum Asia* aut *intram Taurum*, in bello cum Antiocho eiusque pacificatione; sed pars illius, quæ olim Attilorum regnum fuit, post Romanorum prouincia, qui pro temporum ratione nunc piederunt, nunc ademerunt rursus, quæ usus belli aut administratio prouincia suaderet. Hanc Romani καὶ ἔξοχὴν *Asiam*, sive ut Strabo ait lib. xii in Apamea, τὴν ἀστῶν καλεύντην Ασταν, propriam *Asiam* vocarunt; quam diuidendi rationem etiam scriptrores imitati sunt, quia illorum temporibus tria frequensque hæc Asia erat notio. Lucas Act. Ap. st. II. 9 κατοικοῦντες τὴν Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ασταν, Φενυίαν τε καὶ Παρθονίαν, habitantes in Cappadocia, Ponto, & Asia, Phrygiaque & Pamphylia. Et cap. xvi. comm. 6. seq. Peragrata autem Phrygia & Galatia prohibebantur a Spiritu S. verbum predicare ἐν τῇ Ασίᾳ, in Asia. Venientes autem ad Mysiam tentabant in Bithyniam proficiisci; non autem permisit ipsis Spiritus. Prætereuntes inde Mysiam, descenderunt Troadem. Videmus hinc, a

quot prouinciis minoris Asie hæc nostra Asia distinguitur! Sic epistola Petri prima ineunte παρεπιδημοι διασπορας πόντου, Γαλατias, Καππαδοκias Ασιas και Βιθυνias, aduenæ dispersionis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia discernuntur.

VII. Quamvis autem *Asia propria* cum Romanorum prouincia *Asia* conuenire & eadem esse videatur; tamen si recte discussas historiam, intelliges discriminis aliquid interesse. Ciceronis ætate tres diæces cis Taurum in Phrygia sitæ, vt ipse lib. IIII epist. VIII desribit, & tres diæces *Asiaticas* lib. XIII epist. LXVII vocat, ademptæ erant praetori Asie, & Ciliciæ proconsuli adiectæ; quod vero mutatum post Ciceronis discessionem, aut civili bello fuit, exdemque reductæ ad Asie prætorem, id quod ex altera illa, quam diximus, libri IIII epistola appetet. Contra addita Asiaticæ prouinciæ multa, quæ extra Asiam Propriam erant, a qua nomen prouincia acceperat, videlicet Caria, Helle-spongi ora & alia. Augustus Cæsar quum nouam formam prouinciis induxit, aliis sibi seruatis, in quibus armorum opus præsidio erat, quæ inde *Cæsaris prouincia* dictæ; aliis senatu & populo Romano redditis, quas prouincias populi dixerunt, in quibus & Asie erat, proconsulari dignitate aucta, quum antea fuisse prætoria, nisi belli tempus proconsullem postulareret; amplos fines eius Asie esse voluit, ferme omnem Asiam cis Hlyn & intra Taurum, Bithynis exceptis, quibus sua Pontica erat prouincia, & Galatis gentibus, quas Amyntæ regno adiecerat. Intra Asiaticam ergo prouinciam erant Ionia, vtraque Phrygia, Lydia, Mysia, Caria & Pergamus. Consule Strabonem lib. XVII extremo, & eminentissimo viri Henrici Noris *Cenotaph. Pisan. Dissert.* II. cap. XI.

VIII. Propria autem Asia, vetus Lydia est (nec vero totum Lydiæ regnum, quod amplius, præsertim sub postremis

mis regibus patebat) & tractus circa Ephesum & Caystri ri-
pas usque ad fontes eius amnis & Tmolum montem. Au-
ctor libelli de locis Ebraicis in Apostolorum Actis, (Hier-
onymi libro de Ebr. Locis adiecti) Specialiter, *vbi Ephes-
sus ciuitas est, Asia vocatur.* Virgilius Georg. I. vers. 33,

*que Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystria.*

quod desumptum videtur ex Homeri Iliad. B. v. 461, Et Euripi-
des in Bacchis vers. 64.

*Ασίας ἀπὸ γᾶς ιερὸν τμῶλον
Αμένθατα*

Asia ex terra (profecta) sacrum Tmolum relinquens. Sed
huc temporibus antiquissimis. Romano ævo, non est du-
bium, quin latior Asia illa fuerit, nec vero prouincia æqua-
ta, extremis partibus exceptis, quæ suo nomine appellabat-
tur. Aliquando autem etiam Romanos id *Asie* nomen ad
totam prouinciam extendisse non est quod dubitemus: sae-
pe vero in arctius illud contrahunt, ut medium illius par-
tem, quæ ad Ephesum erat atque Pergamum, atque per
Lydiæ partes protrahebatur, vnicæ ac præcipue significa-
ret.

IX. In quo censu id nomen & sacri scriptores posu-
erunt, vt supra vidimus, quos eodem modo, quo nos anti-
tea, clarissimi viri interpretati sunt. Iacobus Vserius, Ar-
machanus in Hibernia archiepiscopus, de Asia proconsulari
libello pag. 33. *Vnde* (ex Act. xvi) obseruari poterit, ma-
jorem Phrygiam, per quam profedi erant in Galatiam; My-
siamque Olympenam, quæ Bithynie adhærescebat; & Hel-
lespontiadem, in qua erat Troas; quum singulæ portes es-
sent illius *Asie*, quæ primum à Romanis sic proprie dicta
est, & post diæceseos Ascanæ quoque; expresse tamen distin-
gui ab Asia peculiaris magis nomine sic appellata; vii. & Ca-
riam

riam sortasse, in qua Miletus erat. Ad. xx. 16. 17. Et Guilielmus Estius Commentar. in I. epist. cap. I. *Specialius ASIA* fuit appellata ea regio, que circa Ephesum est, qua, præter alias comprehendebantur septem illæ ciuitates, ad quarum ecclesiæ scribere iubetur Ioannes Apocal. I. Atque hanc strictiorem significationem Asiae facile est colligere ex reliqua historia Actorum, preservim cap. xvi. vbi Phrygiam, Galatiam, Mysiam, & Bithyniam, que omnes sunt Asiae minoris regiones, inueniens ab Asia distingui, hac vi que specialiore. Quo peritnere etiam arbitror illud cap. xix. de Paulo Ephesi per biennium docente: ITA UT OMNES, QUI HABITANT IN ASIA, AVDIRENT VERBUM DOMINI, IVDAEI ATQVE GENTILES. Atque hinc diuersæ notiones ASIAE oruntur, vt *latisima* tertiam orbis terrarum continentem sonet, Europæ ab ortu oppositam: *lateral* magnam peninsulam inter Ponticum & mediterraneum mare: *lata*, Asiam cis Taurum, vel intra eum montem. Deinde *stricta* est provincia proconsularis: *strictius*, media pars illius prouinciae, circa Ephesum & Lydiam propriam: *strictissimo*, Homerica notione, parvus tractus ad Caystrum fluvium Socris scriptoribus significatio illa placuit, quam *strictiore* modo diximus, vti ex iis, quæ varie adhuc dicta sunt, eluet.

X. Quod si haec ita sunt, cur vero tantum *septem* ecclesiæ in Asia, etiam illa media & propria memorantur, quæ vtique plures claras & frequentes vrbes habuit, Tralles, Hierapolin, Apameam, Magnesiam utramque, sub Sipylo monte & iuxta Maeandrum, vt minores alias paenæ multas taceamus, quas ecclesiæ caruisse post tantos labores apostolorum, virorumque apostolicorum, a Claudi imperio usque ad extremos annos Domitiani, non est facile quod credamus. An haec septem vrbes præ ceteris celebriores ecclesiæ habuerunt? aut Ioannes his solis aut præcipue euangelium

lium prædicauit? an mysticum forte aliud in numero latet & vrbium nominibus, sicut Apocalypses liber est plenus mysteriorum? Hoc ipsum est quod veterum Patrum multi tradiderunt. Andreas Cæsariensis in Cappadocia episcopus in Apocalypf. c. I. comma 4. διὰ τὸ ἐθνοπατινὸν αἰδίῳ τὸ μυστικὸν ἀπανταχῇ ἐκκλησιῶν συμμάνων, septenario numero mystice, omnes ubique ecclesiæ significat: quod iisdem ferme fermis Arethas, itidem Cæsariensis episcopus & successor, in Synopsi quam ex illius commentariis fecit, repetitum voluit, hoc numero τὸ τῶν ἀπανταχῆ ἐκκλησιῶν ἑστήμαντος πλῆθος, omnes ubique locorum ecclesiæ significasse, licet ambo in mysterio interpretando parum mystici, sed ieungi potius videantur, ad septem dies hebdomadis id referentes. Author commentarii in Apocalypsin, Ambrosio adscripti, cap. I. p. 368 Per has septem ecclesiæ una ecclesia catholica, sicut interpretatio nominum docet, designatur. Quam autem subiungit interpretationem nominum, in multis dura admodum aut longius petita est, quæ mollior quidem a Grotio & Cocceio in commentariis proponitur, an vero diuini scriptoris mentein sententiamque adsequatur, nostrum non est iudicare; Theologorum arbitrio submittimus.

XI. Sit in nominibus & numero ecclesiæ sensus mysticus, quem non negamus: nec vero litteralis, quem ille supponit, negligendus aut prætereundus est. Est ubi definitus numerus pro indefinito, & septenarius principue, pro multitudine est positus: ut quum Genes. IV. 15 septempliciter vindicabitur, Aben Melech in h. I. interpretatur רְבָה נִקְמָה ultionibus multis: & quod Proverb. XXIV. 16. dictum, *septies cadit iustus*, R. Leui ben Gersom in eum locum, & David Kimchi in Sepher ha-

ſchoraschim exponunt פָעִמִיּת וּבוֹת multis vicibus: at vbi non indefinite, sed nominatim res, & tam distinctis conditionibus describuntur, an idem valeat, penes alios, quorum est censere que huius sunt generis, iudicandi potestas esto. E quibus vnum, sed magni nominis Theologum, Abrahamum Calouium nominasse, & ex Adnotat. in Apocalypſ. c. I. comm. 4. eius verba hic legiſſe ſufficiat. *Quamuis*, inquit, *septenario numero interdum perfectio denotatur*: illud tamen non habet locum, quum rerum numeratarum nomina & circumſtantie exprimuntur, ut hoc in loco accidit. Ioannes enim non ait generatim *SEPTEN ECCLESIIS*, sed adiungit *ASIAE*, ſcilicet *Minoris* (malim *Propriæ*) & quānam ille ſint, aperie v. 11 ſequenti exprimiur. Quare certis quibusdam ecclesiis *Apocalypſin* ſolummodo inscripsit, ita tamen, ut earum ministerio, ex communī ſcopo *Scripturæ*, communicatio & uſus pertineat ad omnes. Hæc autem non ideo a nobis proferuntur, vt negemus ſenſum myſticum, quem, vt iterum dicamus, quia extra limitem noſtrum eſt, excutiendum aliis relinquimus: ſed vt litterarum, qui noſtri instituti eſt, tueamur, & ex historiis & geographia, quantum fieri poterit, deinceps, quum prius de Ioannis exſilio dixerimus, interpretetur. Quod enī epiftolæ in exſilio, in Patmo iſula, ſcriptæ ſunt ad illas ecclesiias, requiritur utique, ut prius de exſilio, quod p̄ceſſit, quam de ecclesiis ipſis earumque uerbib⁹ agatur.

XII. Apostolorum per terræ orbeſ dispersio ad p̄dicandum euangeliū certa eſt: quas regiones ſinguli obierint, incertum adinodum, quum neque diuinæ litteræ, neque ecclesiæ historia id diſtincte aperieque exponant. Eusebius lib. IIII Hist. eccles. cap. I τῶν μεταποιητῶν

Θητῶν ἵφ ἄπασαν κατασπαρέντων τὴν οἰκουμένην, Ιωάννης
τὴν Ασίαν ἀληχεν, *Apostolis in uniuersum orbem disper-*
gendi, *Ioanni Asia obuenit.* Ασιαν citeriorem intelli-
git, quia sc̄itum addit, πέρος ὃς ἡ διατεχνας in ΕΦέσῳ τε-
λευτα, apud quos & commoratus, *Ephesi moritur.* Ni-
cephorus Callistus lib. II cap. XLIV de Ioanne tradit,
ἐπειτα ἐν Ασίᾳ γενόμενον ἐναγγελίζεθαι τὸν χριστὸν. ἵνα ἡ
τὸν ναὸν τῆς Αρτέμιδος κατηδαφίσεν. Deinde (post excel-
sum deiparæ) in *Asia commoratus, Christum adnunciat.*
Ibidem & Diana templum solo aquavit. In Asia fuisse,
presertim supremis annis, ex Apocalypsi certum est: an
per omne tempus a discessu ab Hierosolymis, probari
non potest: neque etiam rationes, quibus negetur, ad-
sunt. Bironi ad annum Christi XLIV fecit. xxx in
Parthos etiam ad prædicandum euangelium venisse h[ab]it,
ductus veteri epistole & Ioannis inscriptione, quæ ad Par-
thos missa in antiquis libris referatur. Sine Augustinus
lib. I Quæstion. Euangelicar. cap. XXXIX ita scripsit:
Secundum sententiam hanc etiam illud dictum est a Ioanne
in epistola ad Parthos: Dilectissimi, nunc filii Dei su-
mus, & nondum apparuit, quid erimus, cetera. Sed
fac veram illam traditionem esse, quam vero Græci co-
dices, etiam antiquissimi ignorant; nec vero inde conse-
quetur, in Parthis illum euangelium prædicasse. Pote-
rat scribere ad illos, quos numquam viderat. Guil. E-
stius præsat. commentar. in hanc epistolam: An vero
causa scribendi ad Parthos ea Ioanni fuerit, quod apud
illes euangelium prædicasset, vt nonnulli putant, non li-
quet: quum & Paulus ad Romanos & Colossenses scrip-
serit, quibus ipse prius non prædicauerat. Quod vero
Nicephorus de templo Ephesino addit, ab Ioanne euer-
so, fabulosum est & a persona diuini viri alienum, quia

huiusmodi res sine maximo tumultu nec suscipi potest
neque peragi & ad finem perduci: idemque templum
sub Eleagabalo stetisse, non obscure Lampadius in Vita
cap. vii significat. A quo accepit Nicophorus, videtur
metaphora usus id fortassis dixisse, Ioannis voce ac euangeli-
go factum, ut Christianorum numerus augeretur, e
contrario Dianae cultus decreceret, nec eius templum,
ut antea frequentaretur: quemadmodum Plinius, inuale-
scente Christianorum religione, Traiano lib. x epist. xcvi
scriptis, prope iam desolata templo fuisse, & sacra solem-
nia intermissa.

XIII. Missis ergo superioribus annis, quorum his-
toriam ignoramus, senectutem Ioannis in Asia peractam
fuisse credimus, quia ecclesiastici scriptores unanimi con-
sensu affirmant, & illud scribendi officium ad septem ec-
clesias Asie, commercium aliquod sacrum, quod ante-
cesserit, non obscure videtur significare. Tertullianus
illas Ioannis alumnas ecclesias vocat lib. iv adv. Marcion.
c. v, id est ab Ioanne vel plantatas, vel doctrina confir-
matas. Chronicum Alexandrinum ad annum I Vespasi-
ani p. 582 nouem annos ante exsilium Ioannem Ephesi-
ensem tradit: Ιωάννης ἐν Θεολόγῳ ἐν βασικῇ εἰς Ἐφέσον ἀπίστος
ἐκεῖτος ἐν ἑνερᾳ, Ioannes theologus Ephesum venit ibique
nouennium transegit. Unde venerit, ex alia Asia ciuitate,
an ex longinquis regionibus, non memorat. Ma-
net ergo incertum quamdiu in Asia, antequam pelleretur,
moratus fuerit apostolus.

XIV. Inde autem quo depulsus aut abductus fue-
rit, non conuenit inter omnes. De Pathmo insula ple-
riique consentiunt: sunt vero etiam qui prius Romanum
credunt abductum esse. Baronius ad annum xcii fect. i
Ioannes ad Domitianum imperatorem reus impietatis a
procon-

proconsule Asie Romanam vincitus mittitur. Quo auctore
id adfirmet cardinalis, non adiecit: silentque historiæ
ecclesiarum. Tertullianus autem de Præscriptione Ha-
ret. cap. xxxvi Si Italæ adiaces, habes Romanam, unde
nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix ecclæ-
sia, cui totum doctrinam Apostoli cum sanguine suo profu-
derunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus
Iohannis exitu coronatur: vbi apostolus Iannes, post-
eaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in in-
fusam relegatur. Hæc sola fides antiquitatis: quam cer-
ta, vel ex eo constit, quia qui prope solus ex subsecutis
narravit, Hieronymus, non approbatione sua, sed fide e-
iusdem Tertulliani lib. i adv. Iouinianum cap. xiv enar-
rauit. Refert, inquit, Tertullianus, quod Rome missus in
feruentis olei doleum, purior & vegetior exiuverit, quam
intrauerit. Illud ROMÆ substitutum ex Tertulliani
contextu a Martiano Victorio Reatino, quum ante lege
retur, A NERONE. In ecclesiasticorum scriptorum ca-
talogo, vbi vitam Iohannis Hieronymus enarrat, neque
de accessu eius in Romanam urbem, neque de olei sup-
plicio quidquam commemorauit. Sola ergo Tertulliani
fide res illa innititur, quam quod nemo posteriorum qui
ecclesiæ composuerunt historiam, secutus est, neque ipse
Hieronymus intrepidus, sed auctore suo adlegato, penes
quem illa fides esset; vtique suspecta hæc Tertulliani nar-
ratio videtur. Minor vero auctoritas est Prochori, quam-
quam antiquius præ se nomen ferat, de Vita & miraculis
S. Iohannis apostoli & euangelistæ cap. ix seqq. dicentis,
Iohannem a proconsule Asie accusatum apud Domitianum,
missumque Romanam comitante cum militibus ipso pro-
consule, vbi extra portam Latinam in dolium feruentis
olei immissus nihil vasionis senserit. Christianos autem

B;

statim

statim in illo ecclesiam struxisse: Ioannem dimissum reuertisse Ephesum. Sed quis falsa huius auctoris *προθελιμαίου* nec animaduertit? Proconsules sic Romanam potuerunt recurrere, quum cessaret proconsulatus quam primum intrassent vrbe? num etiam Christianis illa tempestate in loco publico, vbi liberet, licuit ecclesiam, id est adem sacram edificare? ipse Baronius ad annum Christi xcii fest. i. hunc Prochorum mendacissimum auctorem vocat: ut de eius fide laborare omnino sit superuancaneum. At deportari Ioannes non potuit, nisi Roma, & iussu imperatoris. Vlpianus Lege ii Dig. de Poenis: Princeps deportatum in insulam statuit: presidem deportare non posse, nulla dubitatio est. Potuit autem praeses cauissim principi prescribere, & ab illo per litteras expectare, qua poena vellet adfici reum, aut in quem locum deportari, ut ipsum Romanam abduci non necesse esset.

XV. Ad exsilium ergo Ioannis, quod certius est, conuertimur explicandum, in quo primum est tempus discutiendum, quod haud idem est omnibus. Sunt enim qui sub Claudio Cæsare illum pulsum credant, sed pauci; ex antiquis Epiphanius; recentium, Hugo Grotius. Ille in Hærefi LI Alogorum (*ἀλόγων*) sectione XXXIII de Ioanne: ἀντεὶ προφητεύσαντ^Θ ἐν χρόνοις Κλαυδίῳ καίσαρ^Θ ἀνωτάτῳ, διε εἰς τὴν Πάτμον νῆσον ὑπῆξεν, ille vaticinium Claudi Cæsaris temporibus edidit, quum in Patmo insula versaretur. Grotius commentator in Apocalyp. I. comma 9: In Patmo scriptam Apocalypsin tradit Dorotheus Tyri episcopus: Ephebi scriptam Eusebius. Virumque verum est distinctis partibus. Priora in Patmo visa, posteriora Ephebi, ut infra dicemus. Fuisse autem Ioannem in Patmo Claudi iussu, & ibi visis illu-

illustratum tradidit Epiphanius in Alogis, non dubium
quoniam veteres sequutus. Et id verum puto. Nam & alii
ante excisa Hierosolyma scribi hunc librum coepisse, argu-
mentis non malis colligunt. Sed quae diuerso de scriptio-
nis loco confidenter Grotius adfirmat, nescimus eisdem
an idoneo probari testimonio possint. Ad Eusebium
prouocat, qui dixerit Ephesi scriptam. Locum non de-
signat, quo libro & libri capite, ideoque dubium & su-
spectum habet illum peritisimus interpres Calouius. Sed
est hoc alicubi Eusebium scriptissime de Epheso: num vero de
parte etiam? hoc vero nec ipse Grotius ait. At quinam
illi, qui ante excidium Hierosolymitanum hunc scribi li-
brum coepisse dicunt; & si dicant, quibus id argumentis
approbat? Velim plenus id Grotius exposuerit, ut cum
cura excuti possit, & an idoneum ad persuadendum sit,
indicari.

XVI. At Epiphanius auctoritate nititur, de quo non
dubit, quoniam veteres fecerunt sic. Nominet illos veteres,
si potest. Nos vero vetustiores Epiphianio habemus, I-
renaeum, ipsi proximum Ioanni; & Eusebium, defunctum
ante vita, quam Epiphanius inclaresceret: habemus et-
iam aequalem Epiphianio Hieronymum; qui omnes sub
Domitiano & exsilio Ioannis ponunt & factam myste-
riorum visionem sive apocalypsin. Irenaeus lib. v cap.
xxx, ex veteri translatione: Si oporteret manifeste pre-
senti tempore praeconari nomen eius (Antichristi) per i-
psum utique editum fuisset, qui & apocalypsin viderat.
Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene
sub nostro seculo, ad finem Donitiani imperii. Hac ve-
tus interpres: quae etiam Gracis, ab Eusebio nominatum
seruatis Hist. eccles. lib. iii cap. xviii conueniunt. *ει
δι οδες αναφερονται ειναι των νωρων πηγων τελεσθαι τουνομα συντελεσθαι*

δι ἐκείνου ἀνερέθη τοῦ καὶ τὴν αποκάλυψιν ἔωρανός οὐ. γόνος
γάρ πολλάχις ἔωρανός οὐλλα σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέ-
ρας γενεᾶς πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομιτιανῆς ἀρχῆς Ἱπλε Eu-
tebius eodem capite a Domitiano, non alio principe, Io-
annem Πάτμον οἴκαι, in Patmo exsulare iussum, tradit,
& ibidem videlicet apocalypsin. Quarto decimo anno se-
cundam post Neronem persecutionem movente Domitiano,
in Patmon insulam relegatus, scriptit Apocalypsin.

XVII. A Claudio ad Neronem venimus, cui Syria-
cæ versionis inscriptione tribuitur. Ita enim præscri-
ptum est: *Reuelatio quæ facta est Ioanni euangelista a Deo
in Patamon insula, in quam eiusdem fuerat μὲν Αρρων κιστὴ
a Nerone Cæsare.* Sunt quoque, & in iis laudatus Calo-
uius in Apocalyps. cap. 1. 9, qui Aretham Cæsariensem
adiungant, quasi is quoque Neroni tribuat ut Ioannes in
Patmo exsulauerit. At quod quidam respondent, Nero-
nem hic ipsum Domitianum esse, cui id nominis ob-
param crudelitatem impositum fuerit. Noti enim sunt ver-
siculi Iuuenalis satyr. IV. 37, 38.

*Quum iam sennianum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & caluo seruiret Roma Neroni.
Et Ausonii in Cæsribus carmine II.*

*Et Titus imperii felix breuitate: secutus
Frater, quem caluum dixit sua Roma Neronem.
Sed non simpliciter hic Nero dictus Domitianus est, sed
caluus Nero: quo satis a Neroni discernitur. At ma-
gnus Scaliger Animaduerit. in Euseb. pag. 204 ex Tertul-
liani Apologia cap. v it defensum, Neronis nomen etiam
Domitiani fuisse. Dixit Tertullianus, vt in editis est:
Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelita-
te, puta, seruire in Christianos. At Scaliger adfirmat in
vetustioribus libris esse, Domitianus praenomine Neronis
Verum*

Verum neque sic est comprobatum, Domicianum absolute Neronem dictum esse, sed cum prænomine, aut, si in suis cognomine, *Nero Domitianus*, sive *Domitianus Nero*; quum Nero Claudiorum cognomen sit, non Flaviorum. Sed frustra Scaliger vulgatam lectionem sollicitauit, quam genuinam esse Eusebii versio lib. iii Hist. E. cap. xx, nominatim loco hoc Tertulliani producto, tueritur. Quæ enim Scaliger mutata verba vult, ille vertit μέρος ὡν τῆς τοῦ Νέγων ὑμότητος, id est, portio Neronis crudelitatis. Quapropter nihil in hisce est, quod Syrum ab erroris culpa liberare possit: quemadmodum nec supra erat, quod Epiphanius in nomine Claudii tueretur. Illud tantummodo adnotatum volo, Syriacam Apocalypses versionem haud æqualem ceterorum librorum interpretationi videri, vt nec primi codices in Europam adlati appositam habuerunt, quam demum Ludouicus de Dieu 1515xvii in lucem primum produxit. Et si omnino antiqua esset, non tamen inscriptio eiusdem cœienda foret ætatis, quum ex Græcis etiam Novi Testamenti libris obseruatum sit, nonnullas subscriptiones, quarum ratio eadem & præscriptionum est, aliud cœum, quam apostolicum, non incertis significationibus præferre. Vide I ad Timoth. & epist. ad Titum. De Aretha Cæsariensi non opus est vt respondeamus ante, quam verba proferantur, & locus vbi extant, significetur: in loco enim & sede eius capit is non inueniuntur. Quid? quod capite eius commentatorum secundo, pag. 654. (ed. Paris. Oecumenii, cui adiectus est Arethas) Eusebii ex Chronico, vt nominatim vocat, de Domitiano refert, ἐξόρουσον διπλὸν γενέθλιον ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ ὑπὸ Δομιτίανος, exsulem ipsum (Ioannem) fuisse in insula Patmo sub Domitiano; & in iis adquiescit.

C

XVIII.

XVIII. Quod si ergo nec Claudi temporibus, neque Neronis, tribuendum est Ioannis exsilium, in illoque facta apocalypsis; relinquitur, ut in tempora Domitiani incident. De anno nunc Domitiani imperii ut dispiciamus, nostrum est. Lapsus in Alexandrino Chronico, ad annum Vespasiani primum, vel auctoris est, vel descriptentium, vel, ut mihi videtur probabile, ab interpolatore quodam, Ioannem ποῖησα ἐν τῇ ἔξοδᾳ αὐτῷ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ ἦν οὗ, exegisse in exilio in insula Patmo annos quindecim. Error ex eo est, qui tot annos Domitianus imperauit, quasi a principio imperii per omne illius tempus Christianorum aduersio fuerit. Ipse auctor huius Chronicorum p. 591 ad Domitiani annum XIII, refert & vexationem illam Christianorum, & ipsum Ioannis exsilium: & ad annum XIII, auctore Bruiio quodam, veteri scriptore, tradit, illo anno multos Christianos μυρτεγνύσας, martyrio aduersos esse. Sed a capite incipendum, Irenaeus, antiquissimus auctor & Ioanni propinquus, lib. v cap. xxx de Apocalypsi: neque ante nullum temporis visum est, sed pene sub nostro seculo ad finem Domitiani imperii. Eusebius Chron. anno Domitiani XIV: Secundus post Neronem Christianos persecutus: & sub eo apostolus Ioannes in Patmum relegatus Apocalypsin vidit. Hieronymus de Scriptor. Eccles. in IOANNE: Quarto decimo anno secundum post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmum insulam relegatus, scriptit Apocalypsin. Hos duces fecutus Nicephorus Callistus lib. II cap. XLII ait, τετάρτῳ γε δεκάτῳ ἦται, quarto decimo anno Domitiani Ioannem in exsilium misum, & Christianos aduersos esse. Non ergo diuturna haec vexatio fuit, sed intra biennium forte finita, senatu rescindente Domitiani post mortem acta, & Nerua exfusiles

les infantes reuocante, quod non tantum Eusebius atque Hieronymus testantur, verum etiam Dio Cassius in Xiphilini excerptis, cuius mox verba producturi sumus. Hieronymum ex dicto loco audire iuvat: *Interfectio Domitianus, & auctis eius ob nimiam crudelitatem a senatu rescissis, sub Nerua Princeps redit (Ioannes) Ephesum. Adeo Eusebium lib. IIII Hist. eccles. cap. xx, & in Chronicis ad Neruam annum. Xiphilinus in Nerua: ὁ Νερός τούς τε οὐνομένους ἐπ' αὐτούς ἀφάνει, καὶ τὰς φίνγοντας κατήγαγε, Nerua eos, qui rei facti erant impietatis (id est Christianos, qui deorum cultum negabant) absoluit, exsulesque restituit.*

XIX. Hæc duratio, quamlibet breuis, a quibusdam arditi contrahitur, & ipsa Domitiani persecutio mitigatur. Tertulliani auctoritate nituntur, qui Apolog. cap. v scripsit: *Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed quia & homo, facile captum repressit, restitutis etiam quos relegauerat. Ex quibus vir clarissimus Henricus Dodwellus Dissertat. XI Cyprianica sect. XVI probat, tentasse tantum Domitianum, non item Cæsariano, quod fecit Nero, gladio ferocisse, ut ibidem Tertullianus de Neroni loquitur. Relegasse confessos, non capitali etiam, sed nec membrorum supplicio adfecisse. Repressisse etiam captum, & quos relegauerat, ipsum restituisse. Et paullo ante ex Brutio apud Eusebium de consulatu Flavii Clementis colligit, iis terminis concludi persecutionem illam, ut vix annum impleri potuerit. Quam Nerua reuocationem exsulum supra dicti auctores tribuerunt, Dio siue Xiphilinus, Eusebius, atque Hieronymus, quibus & Clemens Alexandrinus oratione de Diuite salvando addi potest; eos ita Tertulliano conciliare studet, ut Domitianum quidem reuocasse dicat Christianos in insulas*

ſulas deportatos, aut alio in exilia eieſtos, sed illos indulgentia eius potiri non potuisse ante imperium Neruæ, quia statim post illam datam ex vita ille sublatus fuerit. Quam conciliationem etiam vir summus Stephanus Baluzius ad Laetantii de Mort. Perſecut. cap. IIII, quamuis ipſe antea diſſenſerat, approbauit.

XX. Mitiorem Domitianī, quam Neronis perſecutionem fuifſe, concedimus facile: an vero ipſe repreſſerit ſuam in Christianos ſævitiam, nescio an tam facile ingenio tyranni conciliari poſſit, quam expedite laudati auctores Dionem ſe aliosque, & Tertullianum conciliaſſe existimant. Plinius certe, Suetonius, Dio, Tacitus ita crudelitatem eius deſcripſerunt, vt credi vix poſſit, reſi-
puiffe, & Christianos, omnibus intuſos & exoſos, reuo-
casse ab exilio. Alios reſtituiffe, nemo illorum, qui vi-
tam & geſta eius memoriae prodiderunt, reſerunt: cur ergo Christianis tam benignum, tam clementem fuifſe
credemus? cur, qui poſt Tertullianum ſcripſerunt Christiani auctores, nihil de hoc fauore in gentem ſuam repe-
tierunt, qui tamen, ſi quod commodum Christianis a
gentilibus accessit, magnopere prædicarunt? cur tandem apologeticī ſcriptores non inde argumentum Innocentiae ſumpererunt? Hęc & alia ſuſpectum reddunt Tertulliani locum. Nec vero nescimus ex quo fonte ille hauiſerit,
quam reſpuunt ceteri lutulentam opinionem. Hegeſippus illum præiuit, cuius de hoc argumenuto verba Eusebius lib. II Hist. eccles. cap. xx ſeruauit, & Zonaras atque Nicephorus repetierunt, *Domitianum καταπαῦσαι διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκληſίας διώγμὸν, edic̄o edito eccl̄ie perſecutionem repreſſisse.*

XXI. Quamquam autem hic verus Hegeſippus fuit,
cuius fragmenta Eusebius ſeruauit, multum præferendus
Latī-

Latino alteri, qui sub eodem nomine circumfertur; etamen & Græcus ille in multis locis suspectus est, in hoc præfertim, quod manifesto elucet, si causam mutatæ voluntatis cohibitæ sœvitæ tyranni excutiamus. Hanc vero Hegesippus profert, fabule quam rei gestæ similiorem: duos nepotes Iudæ cuiusdam, quem fratrem Domini dixit, fuisse ad Domitianum delatos tamquam Davidis regis posteros, a quibus perinde imperator, ac Herodes, sibi metuerit. Hos quum examinasset, spreta vilitate illorum, non solum dimisso eos, verum etiam edicto revocasse Christianorum, quam imperauerat, vexationem. Quis non intelligit nugari Hegesippum, dum tam inepta & male coherentia narravit? nihilominus, quæ inde manabat, afflictionis relaxationem Tertullianus adsumpsit, nequaque vero posteriores, vt infra pluribus dicemus. Addit Dodwellus dicto loco causam aliam, miraculum, quo saluus Ioannes ex oleo igneo, in quod coniectus fuerat, evasisse feratur, quo ita deterritus fortasse tyrannus fuerit, vt ne auderet quidem deinde in innocentes pro ingenio suo sœnire. Verum non minus incertum illud de oleo est, quam Iudæ, nescio cuius, nepotum cum Domitiano confabulatio: de qua Scaliger in Eust.ium ad num. M M C X I I consolatur. Id quoque Dodwelli opinioni repugnat; Si deterritus fuit miraculo tyrannus, & innocentiam agnouit, cur postea in insulam Ioannem deportari iussit? quæ sane in pœnis atrocioribus fuit habita.

XXII. Sed in vniuersum Dodwellus negauit Domitianum gladio in Christianos sœuisse, aut capitali vel membrorum adfecisse supplicio. Nos vero non dixerimus facile, sine sanguine afflictionem illam, vt Dodwellus sentit, extitisse. Quod enim Dio Cassius adnotauit, Flauium (sic enim legendum, non Fabium) Flauium, in-

quam, Clementem consulem eodem anno κατέσφαξεν,
capitali supplicio adfecit, & quidem propter ἔγκλημα α-
δειτητοῦ, crimen contemptionis deorum, quæ christianæ
pietatis, & vno & vero Deo confitæ, non atheismi, vt
vertit Dodwellus, descriptio est. De hoc Clemente Sue-
tonius Domit. cap. xv Flauium Clementem patruelē su-
um contemptissimæ inertiae - - - repente ex tenuissima su-
spicione tanum non ipso eius consulatu interemit. Ad
quem locum Lætinus Torrentius: *Quam hunc Flauium Clementem CONTEMPTISSIMAE INERTIAE hominem vocat Suetonius, eo ipso Christianum fuisse demonstrat. De quo iniuriæ in Christianos titulo, quod inertes & inutiles & infraudulosi dicerentur, Tertullianus cap. XLII. Alio quoque, inquit, iniuriarum titulo postulamur, & infra-
duosi in negotiis dicimus.* Nec penitendum illud testi-
monium, quod Eusebius in Chronico a Brutio, veteri
auctore habet, plurimos Christianorum sub Domitiano fe-
cisse martyrium. Quid? quod ipse Dodwellus miracu-
lum, quod iam diximus, de oleo feruente, in quod Ioan-
nes coniectus fuerit, non improbat, sed vt probabile ad-
mittit. Scio equidem, inquit, eodem auctore Tertulliano,
Ioannem apostolum a Domitiano in oleum igneum esse con-
iectum. Tum stupendo miraculo ita deterritus est fortasse
tyrannus, vt ne auderet quidem deinde in innocentes pro
ingenio suo seire. Quod si est, nihil ille Neroni concep-
fit quia olei eiusmodi supplicium maxime capitale est, si-
millimumque Neronianis.

XXIII. De causa nunc exsilio & merito disquiren-
dum est. Prompte quidem inueniebatur in Christianis,
quia deorum cultum aspernabantur, quod dignum omni
supplicio pagani homines existimabant. Vnde calumniae,
delationes & accusations in illos congregabantur. Sed
hæc

hæc communia cunctis erant, qui Christum confiterentur; ducibus eorum & publicis doctoribus seditionis concitæ crimen intentabatur. Mutatio enim religionis in hisce erat, quæ seditionem mouere viderentur, & punientur deportatione. Lege xxx digest. de Poenis Modestinus iurisconsultus: *Si quis aliquid fecerit, quo leues hominum animi superstitione numinis terrorerentur; diuus Marcus huiusmodi homines in insulam relegari rescripsit.* Hæc enim seditionis poena ordinaria. Iulius Paullus Recept. sent. lib. v tit. xii *Auctores seditionis & tumultus, concitato populo, pro qualitate dignitatis aut in crumen tolluntur, aut bestiis obiciuntur, aut in insulam deportantur.* Sic qui Christum Thessalonicae prædicabant Act. xvii. 6. dicuntur *οἱ τὴν οἰνοπόιην ἀναστάτωσας, ορβηλοὺς τῆς γῆς συντοντες*, seu concitantes ad tumultum. Ea de causa deportatus Ioannes est in insulam, quod vtique grauioribus in poenis fuit numeratum. Lege ii Digest. de Poenis: *deportatio in locum aquæ & ignis interdictio successit.* At igni & aqua interdicere facile suppliciorum erat ultimum grauissimumque, quo illi adficiabantur, qui nulla humanitate neque naturæ munere, quæ communia sunt aliis, digni censerentur, sed ad quorum perditionem omnes, quocumque irent, contribuerent. Sed quum in desertis insulis incommoda paria essent, postea factum est, vt deportatio in locum interdictio aquæ & ignis succederet. Sic & aliis legibus ut pares poenæ deportatio & interdictio hæc coniunguntur. Lege i Cod. de Repudiis: *Matrimonium quidem deportatione, vel aquæ & ignis interdictio non soluitur.* Adde legem xxiiii Cod. de Donat. inter vir & vxorem. Quo & illud Taciti pertinet annal. iv cap. xi de Cassio Seuero: *bonis exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit.*

Seri-

Seriphus autem insula Aegei, damnatis destinata. Vide & annal. II cap. LXXII. Sic innocentissimi Christiani seditionis rei acti sunt, a qua longe omnes alieni erant. Nec vero id mirandum est, quia & sanctissimo tranquillissimoque

SERVATORI CHRISTO idem crimen fuit impactum, quod ex euangeliorum notum est historia.

XXIV. Quod ad locum exsilii attinet, omnes consentiunt, Patnum insulam esse, haud dubie illo tempore desertam aut male habitatam, ut, negatis vitæ commodis, poenæ esset in eam relegatis. Solus videtur Chrysostomus dissentire, quod mireris, quia ipsa diuina Apocalypsis, quod de Patmo, exsilii loco, iam dicimus, clarissimis verbis confirmat. Ita autem sanctus pater commentator in epistolam ad Ephesios ineunte, de vrbe Epheso: ο μακάριος Ιωάννης ο ἐναγγελιστής τὰ πολλὰ ἐνδιέτεχνε εἶπε, ό γάρ εξωσίσθη ἐκεῖ, καὶ ἐτελέντησεν. Quæ Latinus interpres Gentianus Heruetus Aurelius ita conuertit: *Beatus quoque Ioannes euangelista plurimum illuc (Ephesi) est versatus. nam & illuc fuit relegatus & decessit.* Ambiguus sensus: aut illuc fuit quum relegatus esset; aut, illuc erat quum relegaretur. Non crediderim priorem interpretationem in animum Chrysostomo venisse, ut sentiret, Ephesi exsulasse Ioannem, quod sententiae de Patmo, diuinitus confirmatae, repugnat. Nisi ergo aliquid excidit ex contextu, in Patnum aut simile, sâltem θεον, loci vocula, ut ιωάνθον, ex illinc exinde, legatur; alter sensus haud dubio auctoris fuit, illuc fuisse, quum in exsilium eiiceretur. Ξόζιεν enim est exterminare, eiicere extra fines: & εξωσίσθην, exterminatus inde est, non, ibidem exsulauit; ut nequamquam Ephesus exsilii locus fuerit (neque enim poena fuisset in opulentissimam amoenissimamque urbem deportare) sed Patmos, sterilis insula, ut omnes qui de hoc exilio tradiderunt, consentiunt.

XXV. Patmos vero, sive Pashmos iusula, olim obscura fuit & ignobilis, Ioannis demum exilio & diuinis visionibus nobilitata. Vix enim duo ex profanis scriptoribus memorarunt, Strabo atque Plinius; & ille quidem tamquam in transitu, sub finem lib. x de Icaro mari: ἦ
ῳ οὐ αὔτῃ, η Σάμῳ, η Κῶς ἐστι, η αἱ αἴγατι λεχθεῖσαι κοραστιαι, η Πάτμῳ, η Δέῃ, in quo & ipsa (Icaria) sita est, & Samos, & Cos, ac modo dicta Corassie, & Patmos, & Leros: hic lib. i v Historiae Naturalis cap. xii de insulis Sporadibus: Pathmos, circuitu triginta millia passuum. Plura de illa non habet: cui quidquid famæ ac dignitatis accessit, ab Ioanne euangelista habet, ibi exsulante, & per ecclesiasticos scriptores habet, qui de illius tradiderunt exilio. Raritas mentionis, argumentum est obscuritatis: deportatio & exsiliū, sterilitatis & malæ habitationis. Vocabulum a Græcis, quantum constat, omnibus, Strabone, Eusebio, Epiphonio, Zonara, Cedreno, Aretha, Nicephoro, Eustathio ad Donyssi perieg. v. 530) & in omnibus Noui Testamenti codicibus per T scribitur, Πάτμῳ: a Latinis indifferenter Pathmus & Patmus. Clarissimi viri, qui ex numinis orthographiam emendant, Pathmos potius, quam Patmos scribendum censem, freti uno Seueri nummo, quem Carolus Patinus in nummis Cæsarum p. 285 exhibet, inscriptum ENΠΑΘΜΩΔΑ, quod legunt ἐν Πάθμῳ, recisis extremis litteris, tamquam aliud significantibus. Sed valde dubium est, an is nummus insulæ nomen referat; & si refert, an confessioni omnium Græcorum opponi possit. Nec confuetudo fert, ut ἐν præpositio apponatur, si nummus a populo aut loco est consignandus, quemadmodum in hoc, si vera hæc interpretatione est, oportet factum esse, ut Πάθμοι, Pathmi, ἐν Πάθμῳ, in Pathmo dicerentur. Ut vero in hanc fuerit depon-

D

tatus,

tatus, non in aliam exsiliis Romanorum in hoc mari destinatam, Gyarum forsan, aut Seriphon, vel similem; id diuina factum prouidentia est, quo propior Asiaticis esset ecclesias, quas vel voce adhuc nutriuerat, vel rexerat cura atque consiliis.

XXVI. Sed satis de Patmo insula & Ioannis in ea exilio. Ad urbes explicandas, & quae in iis erant, ecclesiis properamus, ad quas diuinus vir ab exilio cœlesti iussione litteras dedit. De numero earum septenario supra sect, x dictum est. *Angeli* vocantur quibus mitti epistolæ iubentur, id est episcopi, seu præfecti ecclesiis, ut illis cura & voce consulant. Non insueta scripturæ sacre hæc notio, vt vel ex solo Malach. 11. 7 loco manifestum est: cui Iudæi etiam Iudicium 11 comma 1 adiungunt, Aben Melech in eum locum refert, maiores suos dixisse *ה מלך הוא בנה נחש* hunc angelum Pinehasum esse: qui in Targum Ionathanis est *نبياً* propheta. Ita vero episcopis scribitur, vt ecclesiæ quas curabant, illorum nomine vna significantur, quia in epistolis sunt quæ ecclesiæ aptius quam sanctis episcopis imputentur: præsertim si verum est, quod multi tradiderunt, Ephesinæ tum Timotheum, Pauli discipulum; Smyrnensi Polycarpum præfuisse. Vide & Apocal. I. comm. 11. Arethas Cappadox ad Apocalyp. II. comma 1. ἄγγελον τῆς Εφέσου τὴν ἐν αὐτῇ ἐκκλησίᾳ λέγει, Angelum Ephesi ecclesiam in ea urbe dicit. Tropus ergo eiusmodi est, quo duci tribuitur, quod simul est exercitus: & magistratui, quod etiam est populi.

XXVIII. Prima illarum ecclesiarum est *EPHESINA*, quæ primo loco ponitur, quia cum Romani Asiam tenerent, Ephesus urbs primaria fuit prouinciae. Lydis atque Persis Sardes caput illius Asiae; Attalis Pergamum fuit:

erat: Romani hanc dignitatem detulerunt Epheso, quia prima erat Roma aduenientibus, & ea claritate, ut mereatur præferri omnibus. Vnde factum est postea, ut etiam in hierarchia ecclesia primum hæc locum teneret inter Asie prouinciae ecclesiæ, id est metropol's fieret, quia Christiani plerumque in ecclesiarum ordine ciuilem dignitatem, quam ciuitates sub Romanis habebant, secuti sunt, quod ex Notitiis ecclesiæ & episcopatum apparere, quemadmodum in Hieroclis Notitia in Asia proconsulari inter XLIII vrbes, episcopales plerasque, Ephesus primo loco est posita.

XXIX. EPHESUS, ut Stephanus dicit Byzantius, πόλις Ιωλας ἐπιφανεσάτη, Ioniae vrbs illuſtrissima. Lydiæ triduit Herodotus lib. i cap. CXLII αὐδίς δὲ ἐν τῇ Λυδίᾳ, Ἐφεσῷ, κωλοφὼν, Αἰρεσῷ, hæ vero (vrbes) in Lydia sunt, Ephesus, Colophon, Lebedus, ceteræ: at huic Lydia non regio hoc nomine signata, sed Lydorum est imperium, quod extra Lydiam ad mare vsque per Ioniam extendebatur, sicut altero latere per Phrygiam ad flumen Haly, Romani quidquid eius tractus est, Asiam postea & propriam quidem, dixerunt, cuius Ephesus vrbs prima & præcipua fuit. Plinius lib. v cap. xxix lumen Asie dixit, opus Amazonum. Splendorem addidit Diana templum in mirandis terræ orbis olim numeratum. Idem Plinius lib. xxxvi cap. xiv Magnificentia vera admiratio exstat templum Ephesiæ Diana, ducentis viginti annis factum a terra Asia. Extra vrhem ad portum fuit. Strabo lib. xiv pag. 440 ἡτα λιμὴν Πάνορμον καλέμενον, ἔχων ισχὺν τῆς Εφεσίας Δερτερίδον, εἴθ' ή πόλις, deinde portus est qui Panormus vocatur, cum Ephesiæ Diana templo: deinde vrbs ipsa Ephesus. Lis de origine templi, Pomponius Mela lib. i cap. xvii ad Amazones refert, vt

taceam de Callimacho & Dionylio poetis: sed hoc in fabulis relinquemus. Strabo iam dicto loco nulla Amazonum mentione fáa; Archiphron vel Chersiphron (nam variant libri) ἀξωτοῦ ἱερόντος, primus exstruxit, vt auctor, an tantum ut architedctus, non exprimitur. Plinius Afiae ciuitatibus tribuit, quod etiam Luius lib. i cap. XLV confirmavit: Iam tum (sub S raio rege) inclusum Diana Ephesi fanum: id communiter a ciuitatibus Afiae factum fama ferebat. Cultus Diana quam superstificiosus ibi fuerit, ex Apostolorum historia cap. xix manifestatur. Etsi enim Herostratus combusserat templum, ἄλλον διείσθιαν (νεών) κατεσ्थνεσσαν, aliud tamen praestantius edificaverunt, quod itidem Strabo adnotauit: qui etiam de asylu iure, per spatiu[m] inde porrecto, adiecit.

XXX. Idem etiam suo æuo, hoc est sub Augusto & Tiberio, creuisse urbem obsteruauit, esseque ἐπικέριον μεγίστου τῶν νατὰ τὴν Αστραπὴν ἔνδε τῆς Τάναγρας, emporium Aliae eorum, que sunt intra Taurum, maximum. Nec caruit litterarum studiis, indeque prodierunt, philosophi & oratores, quos Strabo nominat, & poeta Ἰππώνας, Hippo-nax: item Apelles & Parrhasius pictores, arte ingenii non minus, quam poetæ, nobiles. Ut fit autem in rerum affluentia, & vt in Europa Græci philosophiam in sophisticam peruerterunt, ita Ephesii etiam multa tractauerunt ἀερίζεια, vt diuinus historicus vocat Act. xix, 19, hoc est nummum curiosa, que sub naturalium scientiarum specie incantationes & artes magicas souebant. Hesychius: ἀερίζειον, περιττὸν ἡ σηελὸν, perierton est superuacuum aut prauum. Sed propositus ad vim vocis explicandam accessit Irenæus lib. i. cap. xx, Exorcismus, inquit, & incantationibus [Simoniani] vtuntur. Amataria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri & oniroponipi, & quemque

cunque sunt alia perierga, apud eos studiose exercentur.
 Sic cum Grotio legimus, vbi editum inconuenienter erat parerga. Ad magisim & incantationes spectasse, etiam Syrus interpres, at quam antiquus? suo suffragio approbavit, Νῦν vertens, id est magi benefici, qui sunt Græce περίεγα ἀράζατες: quemadmodum idem Galat. V.20. Φαρμακεῖα. veneficium, Αγροτῶν cognata voce transculit. Hi vero Pauli doctrina eo vsque sunt perduicti, ut libros etiam, qui magno pretio constiterant, quibus hæ malæ artes docebantur, publice concremarent. Hæc erant illa εΦέσια γεάματα, Littera Ephesiæ, quæ in proverbium abierunt, de quibus Suidas, Hesychius, & Clemens Alexandr. lib. v Strom. pag. 188 consuluntur.

XXXI. Ut vero sanctissimus auctor & inspirator Apocalypses, qui ipse servator est omnium; ab Epheso, primaria Asia illius urbe, initium hortandi castigandique fecit: ita non secundum ciuitatum dignitates progressum sicut: sic enim proximæ Sardes & Pergamum fuissent, regum quondam domicilia; sed secundum situm & positionem locorum. Ephesum ergo SMYRNA excipit, tamquam situ proxima. Plinius lib. v cap. xxix Ab Amazone condita, restituta ab Alexandro in ora Smyrne, amne Melete gaudens, non procul orto. Stephanus aliter; a Tantalo conditam Naulochi nomine: alterum nomen accepisse ab Amazone Smyrna, Ephesum tenente. Gaudere amne suo, iam dixit Plinius, etiam ob fabulam puta, qua Homerus ibi sua carmina composuisse ferebatur. Paupernias Achaic. cap. v extremo: Συμηνάριος ποταμὸς μέλις ὑδωρ ἐσὶ καίδι-
 σον, ω̄ σπήλαιον ἐπὶ ταῖς πηγαῖς ἐνθα δύμησον ποιῆσαι τὰ ἔπη λέγεται. Apud Smyrnæos longe pulcherrimus est amnis Aeles: ad eius caput antrum, in quo Homerum tradunt carmina sua scripsisse. Et Papinius Statius ad illum ad-

Iasit. Lib. II Sily. carm. vii vers. 34 de Lucam poetæ Hi.
spaña Bætica oriundi, Iudibus :

Graio nobilior Melete Bætis.

Et Siluarum lib. IIII carm. IIII vers. 60 de seruo quodam :

*Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles.*

Smyrna etiam in iis vrbibus, que de Homeri patria disceperunt, & ceteris fere prælata in illo certamine fuit. Eximia laus, nisi quod illa maior est, cælestiorem postmodum vatem, Ioannem apostolum, habuisse, eiusque diuina voce atque litteris ex tenebris in lucem splendidissimam perductam esse. Cetera tum nobilem ciuitatem hanc fuisse, Ciceronis etiam testimonio constat Agrar. II cap. x in nobilissimis & eam referentis. *Commodum erit*, inquit, *Pergamum, Smyrnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum, totam denique Asiam populi Romani factam esse dicere.* Idcirco etiam Romanis temporibus conuentum habuit iuridicum, quem magna pars Aeolie frequentauit : quod Plinius dicto loco adiecit. Ipsa urbs Aeolica erat, ut Paternulus lib. I cap. IV tradit ; quamquam postea Iunia a Stephano adnumerata, quia in confinio utriusque gentis fuit posita. Strabo lib. XIV sub initium, προστελήθη υπέρ τοῦ Σμύρνης τῷ Ιωνιον. Vnde etiam Aeolum conuentus in ea erat, sicut Ephesi Ionum. Incolæ Σμυρναῖς dicti, ut in nummis est & ipsa Apocalypsi : etiam Latine Tacitus annal. IV. cap. LV *Ita Sardinios inter, Smyrneosq[ue] liberatum.* Ilorum tum episcopus fertur S. Polycarpus fuisse, apostolorum discipulus. Ireneus lib. IIII. cap. IIII *Polycarpus non solum ab apostolis edocitus & conuersatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt ; sed etiam ab apostolis in Asia, in ea que est Smyrnis ecclesia, constitutus episcopus, quem & nos vi-*

dimus.

dimus in prima nostra estate. Multum enim perseveraverat, & valde senex glorioſſime & nobilissime martyrium faciens exiuit de hac vita. Subiit glorioſam confessionis mortem, ut Eusebius Hist. eccl. lib. i v. cap. xv notauit, sub Marco Antonino & Lucio Vero auguftis.

XXXII. PERGAMVM ſequitur, Attalorum regum ſedes quondam nobilis. Plinius lib. v. cap. xxx Longe clarissimum Afæ Pergamum, quod intermeat Selinus, præfluit Cetius profuſus Pindaso monte. Nec procul ab urbe Cicus fluit. Strabo lib. xiii pag. 429 παγαπῆς ὁ Καΐνος πέργαμον, & Pergamum Caicus præterfluit, quæ nobilior est fluminibus. Plinianis. Rex Eumenes cum alia ornamenta, tum βιβλιοθήκας, bibliothecas addidit. Laudat illas & Plinius lib. xiii cap. xi, adiiciens, eius rei cauſa membranas in chartarum vſum Pergami eſſe inuentas, quæ inde pergamenæ dicantur. Plutarchus in Antonio p. 943 dicit, χαρισαθαι, donasse illum Cleopatræ τὰς ἵνα Περγάμου βιβλιοθήκας, Pergamenas bibliothecas, in quibus ducenta millia librorum ἀπλῶν, ſingularēm eſſent. Si facta translatio, (de qua nihil Strabo memorauit) in locum ſuccedifit maius ornamentum, cœleſtis doctrina, & diuinæ litteræ, quæ in vera Pergameos ſapiencia instituerunt.

XXXIII. Quod vero inter hos etiam fuerunt Nicolitarum doctrinam tenentes, de hoc nomine aliquid adiicere non erit alienum. De his antiquissimus auctor Ireneus lib. i. cap. xxvii Nicolaitæ magiſtrum quidem habent Nicolaum unum ex vii, qui primi ad diaconium ab apóstolis ordinati ſunt, qui indiſcrete viuunt. Plenissime autem per Ioannis Apocalypſin maniſtentur qui ſint; nullam diſſerentiam eſſe docentes in moechando & idolothytion edere. Et posteriores plerique ad diaconum illum, S. Stephani collegam, originem ſectæ referunt, Ireneum, puto, imi-

imitati, qui vtrum ex certa traditione, an conjectura id habuerit, nescitur. Epiphanius Hæresi xxv pag. 76. secunda & pudenda de Nicolao prodidit, quæ improbabilia sunt, quia credi non potest, apostolos in diaconis legendis tam longe a vero iudicio aberrasse. Ipse Irenæus inter Nicolai mores & Nicolitarum videtur distinxisse, quod clarius exponunt Clemens Alexandrinus lib. iii Strom. p. 436, Eusebius H. E. lib. iii. cap. xxix. & Nicephorus lib. iii. cap. xv, qui Nicolaum omnes excusat, sectatores demum bene eius dicta & facta ad obscenitatem detorsisse aiunt. Quod si est, Nicolao videtur contigisse, quod Zadoco & Epicuro, illi Sadduceorum, huic Epicureorum auctori. De illo enim referunt Iudæi, eius præclarum dictum, *non esse mercedis causa pie vivendum*, ita discipulos eiusdem perueruisse, vt animam post mortem superesse & in corpus redire negarent. De Epicuri temperantia ac frugalitate Seneca epistolis ii & xviii & xxii ac alibi, & Diogenes Laertius in Vita testes sunt: quosdam vero de schola eius, abusos auctoritate magistri, voluptatibus se dedisse, & præceptoris quicque nomen pæne infame reddidisse, in vulgus est notissimum. Sed hæc ex hypothesi de diacono Nicolao: quæ vero argumentis certis non potest approbari. Vnde etiam clarissimi viri de toto dubitant, aliud quidpiam mysterii illius vocabulo significari existimantes. Vide doctissimi interpretis Io. Coccei in Apocalypsin commentaria. Nobis satis est historiam, quæ ab antiquis est tradita, ad examen vocasse, eiusque incertam ostendisse rationem.

XXIV. THYATIRA quarta vrbs, cui Ioannes in visione illa e Patmo, vbi erat, iubetur scribere. Plinius lib. v cap. xxix *Intus & Thyatira adluitur Lyco, Pelopia aliquando & Eubippa cognominata.* Aut alias hic Lycus fluvius

fluius ab illo est, qui Laodiceam adluit, & Maeandro circa Colossas adfunditur; aut magnopere Plinius a vero situ aberrauit. Ptolomaeus enim lib. v cap. 11 urbem Θυάτερα longe citeriore ponit, inter Caicum & Hermum fluios. Strabo lib. xiiii pag. 430 consentit, constituens in via, quæ Pergamo Sirdes ferebat. Et hic quoque Θυάτερα scripto pluratio numero, ut multa urbis nomina Graeci effe- runt, quæ Latinis sunt singularia. Non ergo est quod mi- meris, in Apocalypsi cap. I. commate 11 dici εἰς Θυάτερα. & cap. II comm. 18 εἰς Θυάτερος, quum Plinius singulari- ter, Thyatura adluitur. Innumera exempla huius inter Graecos Latinosque differentiæ in nominibus urbis sunt, v. gr. Ἰεροσόλυμα in Nouo Testamento plurali dicuntur: at Cicero pro Flacco cap. xxviii quum aurum Iudeorum nomine ex Italia & omnibus prouinciis Hierosolymam ex- portari solet: quamquam & Graecorum more Tacitus Hist. ii cap. x preter Hierosolyma: & mox ante mœnia Hi- erosolymorum. Ptolemæus, qui in Lydia cum Stephano posuit, Thyatira μητρόπολιν, metropolim vocat. Littius lib. xxxvii cap. xliv singulari numero, ab Thyatira: at eodem libro cap. viii plur. circa Thyatira: & cap. xxi per Thyatira. Et Polybius in excerptis Valeianis ex lib. xvi pag. 69 εἰς Θυάτερα ἀγωνες, Thyatira versus prof- dus est. Alogi haeretici apud Epiphanium Haeret. li sect. xxxiiii in argumentis, quibus Apocalypsin reiicere ten- tabant, & hoc ponunt, nominari ecclesiam Thyatirorum, quæ nusquam fuerit. At quamuis posteriori tempore ab haereticis, puta Alogi & Cataphrygibus, occupata omnis fuerit, non tamen inde sequitur, neque prius, & apostolico anno nullam ibidem ecclesiam extitisse. Per orbem terra- rum fuit primo tempore euangelium prædicatum, & ubi- que fundatæ ecclesiæ, quarum vero plures ad gentilitatem

E

relapse

relapsæ sunt, ut deniū conuerti ad Christum opus fuerit. Sic Germania nostra ab Irenæo lib. i cap. ii dicitur *fundatas ecclesiæ* habuisse, quas ne de Cisrhena Romanorum in solo Gallico interpreteris, occurrit, qui proximus est, Tertullianus adv. Iudeos cap. v.ii, Germanos illos, Christum confessos, cum *Dacis, Scythis, & Sarmatis* connumerans, qui *limites* suos *transgredinon* sinerentur ab Romanis, quæ sane Germania barbaræ, non Romanae, est descriptio: nihilominus posteriori saeculo vel nulla vel pauca vestigia ecclesiarum in illa vasta regione superfluerunt, quæ sero ad Christum deinde reducta fuit.

X X V. Ad S A R D E S nos ordo ducit, caput quoniam Lydia ac sedes regum Lydorum. Plinius lib. v cap. xxix *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis*, Strabo lib. xiiii pag. 430 αἱ Σάρδεις πόλις ἐπὶ μεγάλῃ, -- βασιλεῖον δὲ ὑπῆρξε τὸν Λυδὸν, *Sardes urbs est magna -- regia autem Lydorum fuit*. Plurali & singulari numero vocabulum effertur. Pluralem iam Plinius approbavit & Strabo. Et Polybius lib. v cap. LXXVII εἰς Σάρδεις, in Sardes, perinde ac Apocal. I. comm. ii. Addo Ouidium Metamorph. lib. xi vers 137 de Mæandro:

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus annem.
Contra Ptolemaeo Σάρδεις est singulariter: & Horatius lib. I epist. XI ineunte:

Quid concinna Samos? quid Cræsi regia Sardis?
Damnum, quod Sardes cum aliis Asie ciuitatibus terræ motu sunt passæ, & Tiberii restituentis munificentiam Tacitus narrat lib. ii annal. cap. XLVII. Eodem, inquit, anno (Christianorum circiter xviii) duodecim celebres Asie vrbes conlapsæ nocturno motu terræ. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordia traxit. Nam centies secesserunt pollicitus Cæsar, & quantum ærario auctorifice

fisco pendebant, in quinquennium remisit. Postea ex statu miseriore non a Tiberio, sed per eum, qui sub Tiberio in crucem actus fuerat, orbis restitutorem, liberati sunt, nec vero ita, ut decebat, beneficium aestimantes, in castigationem diuini Spiritus, epistola ad Sardianos notatam, incurrerunt.

XXXVI. PHILADELPHIA Sardibus propinqua erat, itidem ad Tmolii radicem sita. Plinius lib. v cap. xxix de Sardiana iurisdictione: *Conueniunt in eam extra prædictos, Philadelpheni, & ipsi in radice Tmolii, Cogamo fluminis appositi.* Sita apud (πέρι Strab. xii p. 398) Lydie partem πατανεπαυμένην dictam, id est combuscam: vnde crebri motus terræ, & muri urbis saepe hiantes, quod Strabo obseruauit lib. xii prope extremo. Tacitus dicto loco *Philadelphenos quoque in quasiatis, quorum damno Tiberius, leuatis in tempus tributis, subuenerit, memorauit.* Ab Attalo Philadelpho conditore, Eumenis regis fratre, nomen habet. Byzantinorum chorographus: φιλαδέλφεια πόλις Αυδίας, ἀπτάλω κτίσμα ἐφιλαδέλφου, *Philadelphia* urbs Lydie, condita ab Attalo Philadelpho. Et Epiphanius Hæres. LXXIII. p. 874 ἐπίσκοπος φιλαδέλφειας τῆς Αυδίας. Qui mysticam significationem in ciuitatum harum vocabulis querunt, in nullo Christianæ professioni magis idoneam inueniunt, quam in nomine *Philadelphiæ*, digno utique, quod omnis ecclesia sibi vindicet, ac reipsa & communice caritate secundum illud se nomen gerat, atque fiat mane- atque φιλαδέλφῳ.

XXXVII. LAODICEA septima ciuitas est, cuius ecclesiæ in Apocalypsi est mentio a diuino Spiritu facta. Sita urbs in finibus Asiae in ortum versus, ad Phrygiæ limitem. Strabo sub finem libri xii ή πέρι τῆς Δύναμος Λαοδίκεια, *Laodicea ad flumen Lycum sita, ut distinguantur a Syriae Laodicea*

itidem percelebri, ut de minoribus taceamus. Plinio lib. v
cap. xxix principio, est *vrbs celeberrima*. Cicero sepe
memorat in epistolis, lib. ii ep. xvii, & lib. iii epist. v; v-
troque loco describit tamquam insignem urbem & empor-
rium, vbi pecunia permutaretur: & lib. v epist. xx vocat
Laodicensem civitatem. Antiochi *κτίσμα, opus*, dixit Ste-
phanus Byzantius ab uxore Laodice appellatum: vt altera
Syria, a matre Seleuci. Laudat ecclesiam eius Paulus ad
Coloss. i i comm. i, & cap. iv comm. 13, 15, 16, quo postre-
mo loco epistole cuiusdam habita est mentio, vnde non-
nulli deperditam quamdam Pauli ad Laodicenos epistolam
suspiciati sunt. Græci codices ambigue legunt, quidam
τὴν Λαοδικεῖας, subaudi *ἐπιστολήν*: præstantiores, *τὴν ἐν Λαο-*
δικείᾳ, quæ omnino antiquior videtur lectio esse, quia
Syrus etiam interpres *νῦν ex interiecit*, & Chrysostomus
quoque, illud *εν* & legit & exposuit. Sic cessat Paulinæ
ad Laodicenses desiderium: & hæc vel inter Paulinas su-
perstites est querenda, vel ab alio Laodiceæ fuit consigna-
ta. Qui prius censet, alii epistolam ad Ephesios intelli-
gunt, cui hæreticos titulum non *ad Ephesios*, sed *ad Laodi-
cenos* præfixisse Tertullianus lib. v adu. Marcion, cap. xi au-
tor est. Alii putant priorem ad Timotheum esse, indu-
cti subscriptione eius, *ἀπὸ Λαοδικείας, ex Laodicea*: licet quæ,
sequuntur de *Phrygia Pacatiana* aliquid nouitatis sapient,
quemadmodum nec a Syro, neque a Vulgato sunt expressa.
Sed nec priora verba, *Ἐγώ Φη* *ἀπὸ Λαοδικείας, scripta Laodicea*, quæ Cyrus quidem habet, Vulgatus autem itidem o-
misit; omnino certa & indubitate sunt, quia Coloss. i i com.
i dixit Paulus se numquam vidisse Laodicenos: quæ vero e-
pistola ad Colossenses chronographis sacriss post illam ad
Timotheum videtur scripta: hæc vero ad Timotheum in
Macedonia vel Achaia censetur composita, quod alterum
Arabs

Arabs Erpenianus confirmat, Athenis, scriptam esse subiiciens. Vide Ludouici Cappelli Hist. Apostol. p. 74 & 78. Nec quæ ad Philemonem data, quod quibusdam placet, Coloss. xv. 16 intelligi facile potest, quia videtur e vinculis scripta & subnotatum habet αὐτὸν τάχις, ab Roma, quod non temere est loco dimouendum. Aliis ergo est epistola a Laodicensibus ad Paulum missa, ut vulgatus interpres vertit: Ἐπειδὴν οὐδὲν τὴν ἀπὸ Παύλου πρᾶξιν Λαοδικεῖας, αἰδοὺ τὴν ἀπὸ Λαοδικείων πρᾶξιν Παῦλον, ποτὲ eam, quæ a Paulo ad Laodicenses scripta sit, sed quæ a Laodicensibus ad Paulum. Sed hæc satis fint de historico certamine: ἐπειδὴν relinquitur iis, penes quos est sacri codicis interpretatione. Mutuam vero epistolarem lectionem Colosseribus & Laodicensis apostolus commendat, quia haec vicinæ urbes erant, utraque ad Lycum amnem posita, quod de Laodicea supra probatum fuit: de Colossis nos docet Herodotus lib. vii cap. xxx.

XXXVIII. Reditus succedit ab exilio, qui an iubente ipso Domitiano, qui relegauerat, factus fuerit, omnino est, quod dubitemus, ut supra de Tertulliani testimonio dictum sect. xix & xx. Sub Nerua rediisse, & illo concedente, non tantum Christiani dicunt, sed ipse etiam Dio Cassius, cuius epitomen Xiphilino debeimus, non incertis verbis confirmat, quæ quod supra sect. xviii attulimus, non est quod eadem nunc repetamus. Christianorum in hoc, si Tertullianum excipias, magna & constans est consensio. Eusebius lib. iii cap. xx extremo refert, Domitiano sublatto, Neruam iussisse ἐπανελθεῖν τὰς αἰδίνως ἐξεληλαμένης, iustius relegatos redire, τότε, tunc & Ioannem dicit ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν νῆστον Φυγῆς, ab insulari exilio liberatum esse. Eadem in Chronico Eusebiano, quod Latine Hieronymus vertit

vertit, leguntur. Hieronymi de hoc verba protulimus supra sect. XVIII. P. Orosius lib. VII cap. XI in Nerua imperatore: *Hic primo editio suo cunctos exsules reuocauit: unde & Ioannes apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum redit.* Zonaras in Nerua pag. 109 τότε καὶ τὸν μέγα Ιωάννην ἀπὸ τῆς ἐπὶ τῇ Πάτμῳ ὑπεροχεῖς λόγοι ἔχει ἐπανελθεῖν ἐπὶ τὴν Εὐφράτην, tunc magnus apostolus Ioannes ab exsilio in Patmo redisse fertur Ephesum. Cedrenus pag. 103 Στράτιον οἱ Νέρεσσαι ἀνεκάλεσασ τὸν Θεολόγον Ιωάννην ἐπὶ τῆς ἐξοχῆς καὶ ἀπέλυσσεν οἰκεῖν ἐπειδή Ηὐφράτη. *Hic Nerua reuocauit Ioannem Theologum ab exsilio, permisique, ut Ephesi habitaret.* Ex his vna videmus, ex Patmo Ioannem secundum ecclesiæ traditionem reuertisse Ephesum, quod præclare Rufinus, Eusebii verba ex lib. IIII cap. XX conuertens, τὴν ἐών τῆς Εφέσου διατεθῆντα ἀπειληφέναι, expressit, Ephesum, quasi ad scholam propriam redisse: quo præstatum munus, ut sueuerat ante, & docendo & confirmando ecclesiæ rursus obiisse, significat. Nihil ergo proficit Epiphanius, in Alogorum heresi sect. XI p. 434 de Ioanne professus. τὴν ἀνταπὸν τῆς Πάτμου ἀπάνοδον ἐπὶ Κλαυδίᾳ γενομένην Καίσαρον, eius reditum ex Patmo sub Claudio Cesare factum esse: quia, vnde manuit illud, a Claudio in exsilium eiectum fuisse, supra sect. XV & XVI a nobis confixum est ac refutatum.

XXXIX. Nerua ergo est qui restituit Ioannem, & de futuro etiam cauit, vetuitque, vt Dion refert, ὅντες αὐτοῖς Ιudeikοῦ Εἰου πατειαθεῖ τινας, neque contemplationis deorum, neque Iudicii ritus crimine aliquos impostrum accusare. Puta Christianorum ritus & professionem, qui quod orti ab Iudeis erant, & in diis spernendis cum Iudeis consentiebant, ipsi quoque a paganis illo tempore Iudei sunt appellati. Sic idem Dion in Domitiano tradit, Flauium Clementem eiusque vxorem Domitillam, quam Christiani sororis filiam dicunt, punitos esse, illum capitibus suppli-

suppicio, hanc deportatione in Pandetariam insulam, tamquam εἰς τὰ τῶν Ιεδαιῶν ἥση εἰχοκέλλουτας, in mores Iudeorum proluppos. Domitillam autem Christianam fuisse non est dubitandum, quam Eusebius lib. IIII H. E. cap. XVIII τῆς εἰς χριστὸν μαρτυρίας ἔνεκεν, propter Christi confessionem in insulam Pontiam relegatam tradit. Lewis de insula disensus, & vtraque iuxta Italiam sit, etiam exsiliis vtraque parata: quemadmodum Tiberius Agrippinam, Germanici vidua, in Pandetariam relegauit: Neronem, filium Germanici, in Pontiam, quod Suetonius refert Tib. cap. LIIIT & LIV & Calig. cap. xv. De Flauio Clemente idem supra sect. XXII probatum fuit.

XL. Nec vero Iudei ab illa saevitia liberati erant, sed cum iis etiam iniquius actum. Suetonius Domitiano cap. XIIII Præter ceteros Iudaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur qui vel improfessi Iudaicam intra urbem viuerent vitam, vel dissimulata origine imposta genti tributa non pependissent. De Iudeis proprie agi non negamus, idque exemplum, quod subiicitur, nonagenarii feminis manifestat: an vero etiam Christiani per improfessos aut originem dissimulantes intelligendi sint, disputatur ab interpretantibus. Lætinus Torrentius: *Fiscum Iudaicum vocat, quacumque ratione non aduersum Iudeos tantum, sed etiam Christianos ageretur.* Contra Casaubonus ad hunc locum: *Interpretes, qui ad persecutionem secundam Christianorum sub Domitiano haec verba referunt, falluntur.* Nos media via incedemus, vt fiscum illum Iudeorum causa institutum censemus, cuius origo a Titi victoria est, qui, quod Dio in Vespasiano refert, Iudeis imperavit, vt singuli quotannis διδράχμου, didrachmum Ioui Capitolino inferrent. Cui alia tributa sunt adiecta, vt qui in urbe habitarent, id beneficium quoque redimerent, Quod quum negligenter Christiani, & ipsi vulgo Iudei visi;

visi; ab *improfessis* non videntur excludendi esse. Io. Fr. Gronouius V. C. ad profelytos restringit, sed horum pauci tum in vrbe erant, Christianorum autem numerus in dies crescebat. Nerua tandem hæc omnia mitigavit, quod nummus eius probat, inscriptus **F I S C I I V D A I C I C A L U M N I A S V B L A T A**. *Calumnia* autem ad Christianos æque aut magis, quam ad Iudeos, referri potest.

XLI. Vbi vixerit Ioannes post exsilium, *Ephesi* videlicet, supra secl. xxxviii ex ecclesiæ traditione ostendimus, quippe Eusebius Hist. eccles. lib. III cap. xx dixit, ὁ τὸν πατέριν αἴρετον παραδίδωσι λόγον, antiqua apud nos traditio est, Ioannem ab exilio Epheli diaconi communionem recepisse. Nunc dicendum quoque restat, vbi diem supremum obierit. Non enim immortalem fuisse, vt quidam Christi verba, si VOLO HUNC MANERE, DVM VENIAM, interpretati sunt; ex ipsius diuini scriptoris, quam subiecit, certissima declaratione patet. Et sic ecclesia etiam sensit ac tradidit posteritati. Tertullianus de Anima cap. L Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes. Et Eusebius lib. III cap. I de Ioanne, ἐν Εφέσῳ τελευτā, Ephesi mortuus est. Hieronymus etiam annum mortis designauit, de Scriptor. eccles. in IOANNE: Interfecto Domitiano, & aëris eius ob nimiam crudelitatem a senatu rescissis, sub Nerua principe redit Ephesum, ibique usque ad Traianum principem perseverans totas Asia fundauit rexisque ecclesiæ: & confectus senio sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est. Passus est Dominus noster, vt pluri-mi supputant, medio anno Tiberii XIX, quia Augustus obierat XIV Kalend. Septembres, cui si addas LXVIII annos, incidet Ioannis mors in Traiani annum IIII, quo etiam ponitur Chronico Eusebiano, qui annus in vulgari Christianorum epocha est circiter CII.

[Fe II Bl 268 b verso]

DISC
SOFTU

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ATIO HISTORICA
GEOGRAPHICA
DE
M ECCLE-
S E IN DIVINA
PSI MEMORATIS,
VE OCCASIONE,
DE
ANNIS APOSTOLI,
Quam
MAGNIFICENTISSIMO,
INVVENTVTIS PRINCIPPE
CO WILHELMO,
SICI ET ELECTORATVS
BVRGICI HEREDE,
CETERA,
MIA FRIDERICIANA
RAE SIDE
ORO CELLARIO,
r. & Eloq. Prof. P.
IS MAGISTRI Artium &
honoribus ac priuilegiis
ccc ante meridiem Eruditorum
examini exponit
IDERICVS Hollenhagen/
uiensis Curlandus.
TIO TERTIA,
ni Henckelii, Acad. Typogr.
ccxi ci ci